

FLORENTIVS COMES AB HORN.



Florentius ex illustri familia comitum ab Horn natus, et in omni genere uirtutum educatus est. Is cum artium & linguarum fundamenta fœliciter iecisset, animum ad bellorum studia adiecit, atque Cæsarum & regum castra aliquandiu secutus fuit. In ijs se tata animi & corporis fortitudine gessit, ut in supremum militum ordinem receptus, atq; aurei uelleris eques constitutus fuerit. Ad hanc rei bellicæ peritiam etiam rerum ciuilium cognitione & raram prudentiam coniunxerat. Itaq; factum ut à Philippo Hispaniarum rege inferioris Germaniæ Administrator electus fuerit. Eam prouinciam Florentius magno animo regendam suscepit, atq; ea animi moderatione gubernauit, ut & regi suo & omnibus subdatis esset gratissimus. Cum etiam 1562 Franckoforti esset, atq; sua præsentia Maximiliani Cæsaris inauguratione decoraret, suis uirtutibus omnibus innotuit. In ea uiendi ratione Florentius etiamnum pergit, & apud Belgas in magna authoritate existit. Anon.